

ibidemq; evanescunt, donec ex orientali disci parte iterum re-
 deant. (38.) In *Venere & Mercurio* omnes Lunarium phasium va- 38.
 riationes eodem ordine attenderunt jam dudum *Ricciolus, Zu-*
ppus, aliq; , hodiè easdem in futurum respondente eventu præ-
 dicunt *Johannis Heckeri* Ephemerides. Venus speciatim salebro-
 sa, & cum falcata aut dichotoma est, denticulata apparet, ejus
 maculas lunaribus similes *Buratinus* in Poloniâ observavit, (39.) 39.
 inter illas maculas autem particulam aliquam præ cæteris lucen-
 tem *Cassinus* detexit. (40.) Ad *Fixas* quod attinet, earum appa- 40.
 rentem magnitudinem non in sex, sed in aliquot viginti ordines
 distinxit *Hookius* in *Micrographia* sua: quodq; de *Galaxia* jam-
 tum olim veterum aliqui anxii augurati sunt conjecturis, illud
 hodiè non hypothesis amplius, sed observatio certa ac indubia
 est, esse eam nimirum confusum quendam stellarum, oculi nudi
 aciem effugientium, splendorem. *Novas* autem stellas quod
 spectat, ut eas, quæ ab illo tempore, quo *crystalla* coelorum li-
 quari cœperunt, observatæ sunt, sicco pede transeam, in *Com-*
tarum speciali cognitione tantos fecerunt progressus hodierni
 Astronomi, ut utriusq; illius Cometæ, qui anno seculi hujus 65.
 effulsit, motus ac vias, horas ortûs & occasûs, tempus maximæ
 velocitatis, disparentiæ, aliorumq; phænomenorum calculô sub-
 duxerit, ac in futurum accuratè prædixerit *Adrianus Auzutius*,
 Nobilis Gallus, non vulgari doctrinâ celebris. (41.)

41.

Sed descendamus tandem è cœlo, & postquam ea, quæ su-
 pra hominem sunt, prolixè suspeximus, ea, quæ circa ipsum se
 offerunt nova *Inventa*, brevissimè tamen, & quasi per transen-
 nam aspiciamus. Quocunq; verò sensus nostros flectamus, undi-
 quaq; per tot ac tanta noviter reperta de fœcunditate tempo-
 rum nostrorum convincemur. Sive enim *Ignem* intueamur,
 nemo mirabitur *Illustrem Robertum Boyleum*, gravitatem ejus
 variis modis ponderasse, (42.) qui inaudiverit, tentasse eundem, 42.
 an radii solaris partes ponderabiles efficere posset. (43.) Et ut 43.
 nunc *Lumen Lampadesq;* perpetuas hoc seculo feliciter inven-

tas